

Universitätsbibliothek Wuppertal

Omnia Divini Platonis Opera

Plato

Basileae, 1551

Dialogus nonus (argumentum)

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-245](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-245)

ciū esse, atq; in ea Euripides excellere uidetur. Quamobrē? Quod & hoc profunda mente cecinit, sapientes tyrannos esse sapientum consuetudine, dixitq; hos sapientes esse qui cum his conuersantur. Quinetiam tyrānidem tanquam rem diuinam extollit: aliaq; permulta hic, alijsq; poetæ. Enimvero poetę tragici utpote sapientes nobis ignoscent puto, & illis qui perinde ac nos rempublicā administrāt, si eos in nostram rempub. nō admittamus, tyrannidis scilicet laudatores. Ignoscent, ut arbitror, quicunq; inter eos uiri elegātiores sunt. Ceteras uero circumeunt ciuitates, turbam congregantes egregijs grandibusq; & probabilibus uocibus quibus precium nō deest, respublicas in tyrānidē trahunt, & popularem statum. Vehementer. Nōne pro his precium capiunt, honoranturq; in primis quidem ut uerisimile est à tyrannis, deinde etiam à populari illa republica? At uero quo altius ascendunt in arduum rerumpublicarum uerticem, eo magis eorum deficit honor, ut qui defessus crebriore anhelitu progredi non ualeat. Ita nimirum. Sed ne postquam huc digressi sumus, longius progrediamur, dicamus unde tyrannus exercitum illum suum præclarum, uarium, temperq; diuersum alat. Constat in primis quod siquæ sunt sacræ opes in ciuitate, eas surripiet, cōsumetq; quousq; illa sufficient quæ uenduntur, dum leuiora exigit à plebe tributa. Quid si opes hæ defecerint? Patet quod ex paternis aletur & ipse & collegæ ipsius contubernalesq; & scorta. Intelligo equidem quod populos qui tyrannum genuit, ipsum amicosq; eius enutriet. Ita cogitur. Quid uero si succenseat populus, dicatq; haud æquum esse ut adultus filius à patre amplius enutriatur, sed contrā à filio pater: neq; se ad hoc eum creasse, ut adulto iam filio, pater ipse, seruis eius seruiens, & ipsum nutriat, & ipsius seruos, & alios præterea omnes undiq; confluentes eius astipulatores, uerum ut à diuitibus his qui præclari & boni existimantur in ciuitate, hoc præside liberetur: atq; ita iubeat populus abire illum è ciuitate, eiusq; amicos, perinde ac pater filium domo unā cum debachantium turba depellens? Agnoscat per louem tunc demum populus qualis ipse & quali bestia delectatus sit, dum eam generaret atq; educaret, tum quanto ipso debiliore potentiorē ei eicere tentet. Quid ais? Audebit tyrannus patri uim inferre, & si non obtemperet uerberare? Immo uero. nam auferet arma. Patricidam ergo dicis esse tyrannum, durumq; senectutis educatorem. Atq; ut uidetur, hæc proprie est tyrannis, utq; fertur, populus seruitutis liberorum hominum fugiens fumum, in flammam seruilis dominationis incidit, loco ingentis illius & importunæ libertatis, durissimam acerbissimamq; seruatorum subiens seruitutem. Ita nimirum accidit. An non igitur probe à nobis dictum fuerit, si sufficienter pertractatū dicamus, quo pacto tyrannis ex populari gubernatione nascatur: & nata quomodo est, qualis sit? Valde quidem sufficienter.

ARGUMENTVM MARSILII FICINI IN DIALOGO
nonum de Iusto.



SOCRATES quāplurima de regia optimatum uita tractauit, multa etiam de contraria eius tyrannide disputat, ut & illam tanquam beatissimam cōprobemus, et hanc reprobemus quasi miserissimam. Quod nō solum agitur in octauo, sed nono insuper agitur de tyrannide, qua scilicet ratione potissimum fiat ex populari, qualis quoq; sit, quā noxia, quā infelix: quo uidelicet primam quæ in animo sit tyrānidem, totis uiribus deuitemus, uicissimq; regnum animo intimū complectamur. Per hæc statim ad primum redibit disputationis uniuersę propositum. Quo utiq; statuit demonstrare iustitiam non opinione duntaxat humana esse laudabilē, sed etiam ipsa sui natura & honesta mirum in modum & saluari esse ante omnia uenerandam. Iniustitiam quoq; non ob metum uel legum uel infamie solum uituperandā esse, sed etiam propter ipsum maleficæ naturæ suæ uenenum procul effugiendam. Iustitiam uero cum nominat, aliās legalem communemq; designat iustitiam, uirtutem scilicet uniuersam sub legum prouidentia institutam: aliās iustitiam magis propriam siue distributiuam, per quam & in ciuitate pro meritis honores, premia, pœne distribuuntur, et in anima partibus anime pro dignitate naturæ actiones & munera tribuuntur: siue cōmutatiuam, per quam & in ciuitate æquo & legitimo precio res, uel rebus, uel pecunijs cōmutantur, & in animo ita quasi similiter cōmutantur officia, ut quantum ratio inferioribus consuluit, tantundē uires inferiores pro rationis imperio necessaria submitrent. Inter hæc nota tyrānicū animum ita perturbatum esse, ut proprie iudicetur libidine perditus et temulentus, & furiosus atq; inhumanis. Quippe cum quasi fera inhumanibus ijs libidinibus rapiatur, quarum seruitatem ceteri

solum somniantes interdum experiuntur. Quæ uero hic ad falsitatem & ueritatē & uaticinium somniorum pertinent, in theologia abunde tractamus. Considera quā diligēter mala cōnumerat omnia, quibus ciuitas oppressa tyrannide premitur, quā uic apte totidem mala ac etiam plura in tyranni animo numerat, adeo ut nihil miserabilius possit effingi. Mox disputationem totam huc tendentē, ut sapiens iustaq; uita uitæ contrariæ præferatur, in tria redigit capita. Primum esse uult, quod hætenus est tractatum, ex cōparatione uidelicet insipientis iniustiq; hominis ad ciuitatem quandam nulla sapiētia & iustitia gubernatā. Vbi profecto apparet & ciuitatē illam, & hominem æqua ratione pessime et infelicissime se habere. Secundū uero caput nunc aggreditur, distinctionem illam partium animæ repetens in ratiocinandi & irascendi & concupiscendi naturas: quibus tres quoq; uitas accommodat, philosophicam, ambitiosamq;, & cupidam. cupidam inquam pecuniarum gratia uoluptatum, ideoq; auara etiam nomīnatur. Tres similiter disponit partes in ciuitate, magistratus, milites, quæstuarios. Probat deinde uitā uirtute præditam magis eligendam esse quam uitiosam, præterea quod sit reuera suauior. Nempe cum trium illorū quilibet uitæ suæ uoluptatē cæteris præferat, solus id philosophus potest recte diiudicare. Opus enim est ad iudiciū experientia, prudentia, ratione. Principio quantum ad experientiam pertinet, philosophus quidem et sui propriā, & aliorum uoluptates est expertus: quo fit ut facile quæ sit præferenda, cognoscere possit. Cæteri uero philosophatū gaudia nunquam degustauere, ideoq; uoluptates suas cum philosophantis gaudio comparare nō possunt. Præterea solus philosophus perfectā pollet prudentia, et assignandarū industria rationum. quæ quidem duo reliqua sunt ad iudiciū necessaria. Cum ergo philosophus sapientis iustaq; uitæ gaudia ambitiosæ libidinosæq; uitæ anteponat oblectamenti, iure ex ipsius iudicis ueri sententiā uitam uirtute rectam uitæ uitio dissolutæ anteferre debemus. Tertium deniq; caput inde potissimū exorditur, quod in solo sapiente iustiq; uiro uoluptas uera reperiri potest. In cæteris autem uoluptatem falsam & umbratilem esse constat. Quod quidem ita probatur. uoluptates ut plurimum uehementes repletionis quædam sunt indigentie. Atq; ubi & quod impletur & quod implet uerius perfectiusq; est, impletionis modus purior atq; efficacior: ibi uerius est uoluptas, et perfectior et ingentior. Cum igitur intellectus ueritasq; intelligenda ueriores perfectioresq; naturā habeāt, quā sensus atq; sensibile, ac ueritas interius penetret intellectum quā sensibile sensum, & sine mixtione doloris accedat, sequitur uoluptatē intelligētia ueriores esse atq; perfectiores. Inter hæc casu quodam nescio quid interferit mathematicum, cuius declarationem ex commentarijs in Timæum accipies opportunius. Attende deinceps ad illam animæ naturæ figuram. In qua sub multiplicis bestie nomine intellige concupiscēdi naturam: sub figura leonis, irascendi uigorem: sub forma hominis rationem. Et uide quā expresse depingat ambitiosi, iniusti, libidinosi hominis uitam, imō miseram seruitutem. Item ibidem accipe formulam, qua possis transitum animarum in bestias ita interpretari, ut in bestiarum affectus & habitus potius quā in corpora migrare dicantur. Præterea memēto, quemadmodum in corpore perspicacia sensus, sanitas, robur, pulchritudo, non opinione, sed natura sunt bona, eorumq; contraria mala similiter: sic in anima prudentiā, temperantiā, fortitudinem, iustitiā naturaliter esse bona, naturaliter quoq; horum contraria mala. Deniq; accipe totius uitæ formam, per quam ita corporea cuncta disponas, ut animi temperantiæ consonent. Atq; eatenus eligas singula, quatenus conferant ad animi sanitatem: & contra quæ hanc impediunt, procul effugias, habites semper mentis arcem, atq; ab ea nullis aut illecebris, aut minis te præcipitari permittas. Cum uero & te ipsum & alios ita formare uolueris, suspice perspicuum reipublicæ huius exemplar in cælo: in cælo inquam, id est, ordine celestium motionum, atq; altius in mente diuina: ut inde tādē ad ipsius imaginem, te ipsum primo, deinde familiam, tertio ciuitatem iuste feliciterq; componas.

NONVS DIALOGVS

DE IUSTO.

De uoluptatibus distinctis



DINCEPS considerandum restat, inquam ego, qua ratione uir tyrannicus ex populari fiat, qualisq; sit, & nunquid uitam ducat miserā, an beatam. Certe id reliquū est, inquit ille. Scis quid adhuc desiderem? Quid? Nondum sufficiēter distinxisse uidemur, quot sint, & quales cupiditates. Ac nisi id constet, obscurior erit eius quod quærimus inquisitione. Opportunū uero adhuc erit. Prorsus quidē. ac uide quid in eis nosse uelim. est autem tale. Earum uoluptatum cupiditatumq; quæ non necessariae sunt uidentur mihi quædam legibus repugnantes, omnibus inesse quidem: legibus autem & melioribus cupiditatibus pariter cum ratione castigatæ, in quibusdam hominibus uel omnino obsolescere, uel adeo reprimi, ut raræ admodum exilesq; reddantur: in alijs autem uehementiores frequentioresq; euadere. Quas potissimum istas uocas? Quæ in somnis sæpius excitantur, quoties animi pars illa, quæ rationis particeps mansuetatē & illius